





9

DISPUTATIO OCTAVA,  
ACTA  
S. APOSTOLORVM  
EX SCRIPTORIBVS ANTIQVIS;  
SACRO-PROFANIS, MAXIME EX PA-  
TRIBVS ECCLESIASTICIS ET AVCTORIBVS  
CLASSICIS GRAECO-ROMANIS  
ILLVSTRATA,

IOAN. CASP. SANTOROCCVS,  
Profess. Ord. Antiquit. Græco-Latinarum, nec  
non Poësios & Pædagogiarcha,  
*PRAESES,*  
ET  
HENR. CHRISTIANVS GRAIVS,  
Herbornensis,  
RESPONDENS,  
*Publicæ Dnn. Commilit. disquisitioni*  
h. l. s. Die xx. Martii. cccc xv.  
subjiciunt.

MARBVRGI CATTORVM,  
Typis HENNINGI MÜLLERI, Acad. Typogr.

*Viro Amplissimo ac Consultissimo  
DOMINO,  
DN. IOANNI Roppen/  
J U. D.  
Consuli Principalis & Patriæ Civitatis  
Gravissimo,  
Patrono ac Cognato suo omni observantia affectu Colendo;  
Nec non  
Viris ac Dominis ejusdem Civitatis  
Prænobilissimis, Consultissimis ac Prudentissimis  
Dnn. PROCONSVLIBVS,  
CONSVLARIBVS, & SENATO-  
RIBVS SPECTATISSIMIS.  
Fautoribus & Promotoribus suis perpetuō animi cultu  
Honorandis.*

*Hæc studiorum suorum Academi-  
corum primitias  
D. D. D.  
Henricus Christianus Gravius,  
Respondens.*

J. N. D. A.

DISPUTATIO OCTAVA,

*Quâ*

ACTA S. APOSTOLORUM  
ILLUSTRATA.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ. A. I.

VERS. IV.

*Kai συναλιζόμεν@, wa-*  
*trigaleue ἀντοις ἀπὸ ιεροσ-*  
*λίμου μὴ χωρίζεσθαι, ἀλλὰ*  
*περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τῷ*  
*Πάτρῳ, οὐκ ἡκόσιαί με,*

*Versio Vulg. Lat.*

Et convalescens, præcepit  
eis, ab Ierosolymis ne disce-  
derent, sed expectarent pro-  
missionem Patris, quam au-  
distis (inquit) per os meum.

J. I.

**P**Ostquam in præced. Disputat. septima *Transf*  
*j. IV. . . j. X. conjecturas BOISII & ad examen*  
*SUICERI* satis depexas dedimus, no-  
stra pertractandi methodus in præsens  
exposit, ut rigidè (*Vid. j. XI. Disf.*  
*VII.*) inquiramus, quis, qualis &  
quantus valor var. lectioni *συναλιζό-*  
*μεν@* tribui possit. Duæ præcipiè consarcinari solent,  
rationes, quarum fuso quidam Pseudocriticorum induci

A 2

falso

## 4 ACTA APOSTOLORUM

KeΦ. a. I. ¶ 4.

falso putatur, lectionem συναλόμενος esse genuinam. Herum quidem ratiuncularum PRIOR nititur auctoritate Codicum scil Montfortiani, Lincolnensis, Genevensis & Covellianii, qui, uti (i) supra dictum, lect. istam συναλόμενος exhibent. POSTERIOR autem adducta est ex Patribus Ecclesiasticis Epiphanio & Eusebio, in quorum scriptis (Vid. §. VIII. Dispu. VII.) d. lectio exstat. Ast quam fragile & futile harum ratiuncularum fundamentum sit futurum, paginæ hujus disputationis æquâ lance penitus abeant.

## I. RATIO

§. II. Admodum vacillans & aperte falsa est hæc est falsa, consequentia: Codices MONTFORTIANUS, LINCOLNIENSIS, GENEVENSIS & COVELLIANUS. Codices legunt συναλόμενος; ergo ianquam genuina lectio est recipiendi. Nam PRIMO (k) Codices tres aut quatuor, lect. συναλόμενος. maximè nœvis suis laborantes (sinè quibus hodie nullus faciliter dabitur) non debent constitueret lectionem variante, συναλόμενος, contra fidem viginti, & quod excurrexit, aliorum MSS. Codicem, ubi legimus συναλόμενος. Atque hoc (l) AUGUSTINI corroboratur effato: Præfertur, inquit, major numerus minori. Et (m) J. SAUBERTI: Plurium vetustorum MSS. consensus in hanc vel illam lectionem scrupulo quadanterus levando multum potest conferre. Itemque (\*) C. M. PFAFF.

FII:

(i) Disputat. VII. §. VII. pag. 10. & 11. (k) Vid. Ampliss. Viri, Dn. G. D. T. M. D. Canon. Critic. XI. pag. 13. item pag. 58. de confirmat. d. Canonis undecimi. (l) Augustin, apud Simon. Dissert. de MSS. Nov. Test. p. 93. (m) Joan. Saubert, primus Helmstadiens. & postea Noric. Professor. Prolegom. ad var. lect. Matthai singulari volumine editas.

(\*) C. M. Pfaff, Dissert. de var. N. T. lection, Cap. 12. pag. 204.

FII: *Lectio plurium melior lectione pauciorum.* SE-CUNDO συναλλόμενος est textus recepti lectio, quæ majoris solet esse valoris, in primis, cum fundetur in contextu, ejusque evidentia. Hanc rationem ipsa rei natura scriptorisque finis confirmat. Omnes quippe, qui sensa animi sui exponunt, operam dant, vel saltèm dare debent, ut adhibitò clarò & distinctò ordine scribant vel loquantur. Quod autem vel maximè de Luca auctore Actuum Apostol. dicendum, quem, unà cum reliquis scriptoribus sacris, qui Spiritu S. inspirante & dictante scriperunt, Deus T. O. M. procul dubio ab istiusmodi errore præservavit. Quod verò lectio συναλλόμενos contrarietur harmoniae Evangelicæ contextui, liquet ex sequentibus. Sacrae quidem (n) literæ nos edocent, Dn. J. Christum post resurrectionem suam coetibus Discipulorum sese præsentem exhibuisse, nullibi tamen, quoad memoria respicere potest, reperitur, eundem (scil. J. C.) cum iisdem (scil. Discipulis) sub eodem hospitiu recto pernoctasse, id quod inter alia verb. συναλλόμεναι propriè, apprimèque significat. Confer. paragraph. tertium Disputat. septimæ. TERTIO si lectio veteriorum MSS. existimat primum que melior lectione recentiorum, sequitur, ut συναλλόμενος, quæ existat in Codice, olim (o) ALEXANDRINO, nunc (p) LONDINENSI regio, quem

A 3

(q) præ-

(n) *Luc. 24: 13- 15. Ibid. ¶. 33, 34, 35. &c. Ibid. ¶. 50. Joan. 20: 1, 2. & ¶. 26, 27. collat. cum ¶. 19. 1. Corinth. 15.* (o) *Alexandrinus codex dictus, quia Cyrillus Lucaris, Patriarcha CP. eundem ex Alexandria, cum sedem illam relinqueret, secum devenit.* (p) *Londinenis regius Codex appellatur, quia à laudato Patriarcha Regi Anglia Carolo Imo per Thomam Roe, Equitem auratum dono*

6 ACTA APOSTOLORUM κεφ. α. I. §. 4.

(q) præmemoratis Codicibus (r) longè antiquiore existimamus, præferenda sit lectioni συναντίζόμενος. QUARTO suffragatur nobis (s) SYRIUS INTERPRES, qui non videtur legisse καὶ συναντίζόμενος, quia versionis sensus est; quumq[ue] comedisset. Quod autem συναντίζόμενος ita non reddatur propriè, notavimus §. III. Disp. VII. & §. II. numerò secundò Disput. VIII. Nulli quidem dubitamus, fore multos, qui hanc argumentationem ex versione Syriaca haustam levem putabunt, nec satis solidam ad rejeciendam lection. var. συναντίζόμενος, sed hi erunt, qui criticarum artium expertes nihil ferè rectum existimabunt, nisi quod moribus & genio ipsorum conveniat. Obscuri & confusi sunt critici, quibus clara & distincta argumentationis nostræ ratio perspectu est difficilis. Si non (t) plura, hoc saltè concedendum nobis, nempe versiones vetustissimas, quibus addimus Syriaticam, ex antiquissi-

---

dono missi & tanquam ingens Orientis thesaurus in bibliotheca Jacobea apud Anglos asservatur. (q) Præmemoratis Codd. i. e. Montfortiano, Lincolnensi, Genevensi & Covelliano, de quibus confer §. VII. Disp. VII. (r) Antiquorem existimamus Codicem Alexandrinum, quia omnes Critici eundem antiquissimis annumerant MSS., quo, teste Millio, per annos ducentos ultra mille nihil usquam pretiosius vidit orbis Christianus. Hec & plura alia referunt Simon, Hist. Critic. Novi Test. Cap. 32, I. Millius Prolegomen. N. Test. pag. CXLIII. & CLIV. J. E. Grabe, Prolegom. Octateuch. Cap. I & passim. G. D. T. M. D. pag. 30. de MSS. qualitat. C. M. Pfaff. Differat. de var. N. T. lect. Cap. 3. §. 3--6. (s) Vidi. Bibl. Polyglott. à Briano VAltono S. T. D. Londini 1657. edita. (t) Si non plura concedere velint: Sunt enim quidam Criticorum in ea heresi, quasi exemplar Novi Test. Syriacum sit omnibus Græc. Codd. antiquius, quod teste Dn. D. Frantz. Tract. de Interpret. script. part. I. pag. 47, Christus ipse ling. Syriaticā usus sit.

antiquissimis, probatissimisque MSS. & Apographis expressas esse probabiliter. Quodsi hoc ita fere habeat, quid obstat, quo minus d. versiones genuinam inter variantes lect. ob oculos interdum ponant, maximè, si ex nullis aliis circumstantiis sciamus, interpres errasse. Hæc tamen, quæ de valore versionum vetustissimarum modo diximus, ut cum grano salis & certis quibusdam adhibitis (u) cautelis expendantur, serio monemus. Nam haud facile censendum est, easdem tantâ pollere auctoritate, quanta in Codices MSS. Græcos competit. Tantum valent versiones & descriptiones, in quantum concordant cum originalibus. Atque hoc referendum (v) VIRI AMPLISSIMI Canon: Versiones, etiam antiquissimæ, ab editis & MSS. differentes, uti nec impressi libri, faciunt variantem lectionem; sed magis ostendunt officiantiam interpres, aut corruptionem exemplaris, quo usus fuit. Hinc in (vv) HIERONYMO crebriora hæc de Græci textus valore sunt encomia, veritas Græca, fidelitas Græca, aqua fontis purissima. Miramur ea propter, quosdam Pontificiorum, ex. gr. Jo. Morinum, qui Codices Græcos ad versionem vulgaritatem examinare voluerunt. Denique, si cui volupe fuerit, usum versionum in quibusdam aliis lectionibus dignoscendis perspicere, evolvat ac inspiciat, (quod ὡς εἰ παρόδῳ adjicere liceat) loca seqq. (x) Luc. IX. 23. (y) Hebr. XII. 20. collat. Exod. XIX. 12, 13.

§. III.

(u) Cautela istiusmodi notantur apud Sal. Glafsum Philolog. Sacr. Lib. I. Tract. II. de Text. Græci. in Nov. Test. puritate pag. 191, 192. Num. 4. (v) Cl. G. D. T. M. D. Can. XIV. pag. 21. Item ejusd. Canonis confirmat. pag. 60, 61. (vv) Hieron. apud eundem VIR. AMPLISS. ibid. citat. (x) Luc. 9: 23. inculcatur imitatio I. Christi:

*II. RATIO* §. III. Non minus incongrua & insulsa est se-  
ex *Patribus* quens argumentatio: quidam Scriptorum Ecclesiastico-  
hansta est rum, quos ob reverentiam PATRES appellârunt, ex. gr.  
falsa, quia (z) EPIPHANIUS & (a) EUSEBIUS legerunt συν-  
Patrum ci- αὐλόγους; ergo oportet, ut pro genuinâ lectione va-  
tationes non αὐλόγους; semper fa- riante agnoscamus. Non cohæret hæc consequentia, sed  
ciunt lecti- plena est rimarum. Nam *Patribus* non semper habenda  
on. variant. fides, præsertim in colligendis var. lectionibus, quia cita-  
tiones eorum crebriores factæ ex memoria, quæ pro mo-  
re mitè fallaciōsi & labilis solet esse climatis. Præterea id  
procul omni dubiō constat, à *Patribus* in allegandis S. lite-  
rarum dictis multam nonnunquam adhibitam fuisse licen-  
tiam, ita ut ab iisdem vocabula quædam quasi (b) æquivoca-  
ca &

Christi: ἀρτὸν τὸν σαῦπον ἀντεῖ καὶ οὐ πέπει. Plurimi Codd. non le-  
gunt καὶ οὐ πέπει, sed plane omietunt. Exstant tamen apud Syrum  
Interpretem. Certe id omnino arguit, lectionem hanc esse proba-  
tam, immo magne est ejus emphasis, quā nempe significatur, ut,  
sicut dies diem excipit, ita crux crucem sequatur. (y) Hebr.  
12: 20. Hæc verba ἡ βασιδικατοχεύθεται, quamvis in Codice He-  
breo inveniantur, omissa tamen sunt in quibusdam Nov. Test. Codd.  
ac etiam in Codd. Alex. & Claramontano desunt, in aliis autem  
leguntur, ita ut hic ex MSS. Codd. nihil fere certi statuere que-  
amus. Ast tollitur lis hac per Syr. Arab. & Ethiop. versionem, in  
quibus, ut & in veteri Latina eadem etiam verba desunt, atque  
properterea patet, d. verba in autographo Apostolico non existisse  
(z) Epiphanius. Ανατοξα. pag. 524. Vid. §. IIX. Disput. VII. (a) Eu-  
seb. Demonstrat. Evangel. L. VIII. pag. 249. Vid. §. VIII. Disp. VII.  
(b) Vocabula æquivoca ex parte videntur οὐαδίζουν & οὐα-  
νίζουν, quæ, licet diversè sonò efferenda, tamen per usum li-  
brarii dictantis fieri facile potuit, ut eodem foriè modò pronuncia-  
tio inierit se commutata fuerint. Nec impossibile hoc videri debet,  
quia ex negligentia dictantium plures alii hujus generis navi pro-  
gnati

Kεφ. a. I. v. 4. SANCTORUM ILLUSTRATA. 9

ca & (bb) æquipollentia in locum verborum contextus  
sacri substituta fuerint. Addantur & hæc, quod Patres  
non solum suopte ingenio verba (bbb) alium sensum pa-  
tientia substituerint, sed & interdum, uti ex parte dictum,  
integras (\*) sententias ἀπολεξει, i. e. ad verbum non ex-  
stantes tanquam ex fonte S. Literarum haustas memoriter  
protulerint. Plurimos hujus furfuriis errores, qui à labilis  
memoriæ vitio dependent, commemorârunt & confir-  
mârunt critici ferè omnes, inter quos nominatim (c) Lud.  
de la Cerda, (d) J. Crojum, (e) Rich. Simonium, (f) J.

B Millium,

---

gnati à Criticis notantur. Vid. J. Clerici Art. Crit. P. III. S. I. C. VI.  
& VII. C. M. Pfaff. Diffr. de var. N. Test. Lection. Cap. IIx. §. 3.  
Canon. III. pag. 145. seqq. (bb) Uique vocab. æquipollentia s.  
ἰστορικῶν Patres in S. Literarum citationibus inseruerunt. ex. gr.  
Matth. XXV. 4<sup>1</sup> pro τῷ διαβότῳ, Justinus Martyr in Tryphone re-  
posuit, τῷ σατανᾷ. 1. Tim. IV. 3. verbum ērōnē ab Epiphano He-  
ref. 67. Secl. 8. mutatum fuit in verb. ἔρμηνον. (bbb) Hujus sub-  
stitutionis exemplum præbet locus Matth. 7. 22. alibi pro Κύει, Κύει,  
& τῷ σῷ ἰνδικατι προειπέται, καὶ τῷ σῷ ὄνδρι τὸν ταῦτα ἐξεβάλο-  
μεν; Justinus Martyr substituit: ἐ τῷ σῷ δὲ δικαῖῳ τρίγωνος, καὶ ἐπί-  
μεν, καὶ δικάνια ἐπειχαριν. Vid. Justin. Mart. Apolog. 2. (\*) Vid.  
not. (p) ad §. V. Diff. VIII. pag. 12. (c) Lud. de la Cerda jesuit.  
Advers. Sacr. 163. multa S. Scriptura recenset loca à Patribus qui-  
dem allegata, sed cum Interprete Vulgat. non consonantia, quod do-  
cumentum esse potest, fuisse memoriter recitata. (d) J. Crojus Sacr.  
& Histor. in Nov. Fædus obseruat. à Cap. 16. pag. 121. usque ad finem  
Cap. 29. pag. 221. (e) Richard. Simon. Histor. Crit. Nov. Testam.  
Cap. 31. pag. 386. dicens: Non potest quis se fundare in varianti-  
bus lection. citationibus PATRUM, qui non sunt exacti in ad-  
ducendis S. Scripturæ locis. (f) J. Mill. Prolegom. ad Nov. Test.  
pag. XXXIII, XXXIX, LXIX. & alibi.

Millium, (g) J. Clericum, (gg) Ad. Rechenbergium & (h) C. M. Pfassium inspiciendos commendamus. Id, quod modò de Patrum incuria in allegandis scripturæ locis edifferuimus, Acutissimus ille Criticus (i) J. CROJUS notabiliter suffulxit: *Dicimus igitur, contendimus & testamur, ut observationibus, quas hactenus proposuimus, finem tandem imponamus, ex hoc Patrum more NB, nullas varias lectiones esse elicendas, neque consciendas in textu sacro, cum hac ratione in scripture locis describendis tantum, non ex Codicum varietate, sed, vel è memoria & lapsu, vel è Commentariorum penu, vel ex opinione sua, & de suo, vel ex usu Graecæ lingue, vel ex consilio & fine, quem ante oculos habent, ut scripture verba ad causam suam, aut ad eos, quibuscum agunt, possint accommodare, & vocibus, aliunde petitis, ea, que suscipiunt, illustrant & exponant.* Unusquisque igitur videt & sentit, puerorum potius esse crepundia, quam Criticorum studia, quæ lectionem συναντοῦσιν & nuda Epiphani & Eusebii auctoritate fundatam nobis invitis obtrudere laborant, quasi pro magis genuina lectione habenda & venditanda.

*Similiter nec Veter. loco adjicere licet, ipsi etiam GRAMMATICI VETERES, aliisque id genus scriptores fuerunt, dum alia, quam quæ in ipsis autoribus verba, audacter protulerunt. Possemus quidem catervas exemplorum hoc spectantium ex Grammat. Veterum scriptis congereré, sed instituti nostri rati-*

(g) J. Cleric. Art. Crit. Vol II. P. III. Sell. I. Cap. 16. §. 36.  
 (gg) Adam. Rechenberg. Volum. Exercit. in Nov. Testam. De var. Graec. N. Test. lection. Cap. I. §. 9. -- 13. (h) Christ. Matib. Pfass. Dissert. Crit. de Var. N. T. Lect. Cap. I. §. 8. pag. 19, 20. (i) Pralandatus Crojus pag. 221, in fine Cap. 29.

κεφ. I. §. 4. SANCTORUM ILLUSTRATA. 11

stri ratio prohibet. Si quis tamen aveat, hujus rei facere periculum, d. Grammaticorum cum fontibus auctor. Classicorum sedulam instituat collationem. Præterea evolvendas suademos Duumviro Literatissimos (k) PASCASIUM GROSIPPUM & (l) J. PERIZONIUM, qui satis eruditè inculcant, quām periculosi & alea pleni conatus eorum sint, qui ad fragmenta Auctorum à Grammaticis Veter. congesta temerarii provolant, ut Plauti, Terentii, Ciceronis aliorumque textum emendent. Audiamus ea de re amissitatum laudati (m) PERIZONII judicium: *Inanis, fatur, & vana sepe est opera eorum, qui in istis Poëtarum fragmentis apud Grammaticos hic illuc occurrerentium, verum semper ac integrum eruere conantur sensum; immo quām periculosum sit, & alea plenum, cum conjecturis & emendationibus velle adsequi, quum Grammatici illi frequentissima verba adferant, non integri, sed abrupti sensus, satis habentes, si eam vocem vel dictiōnēm exhibeant, ad quam probandam iis utuntur, sine respectu sententiae totius loci.* Haec tenus Perizonius.

§. V. Quodsi autem Patrum æquè ac Grammatico-  
rum citationes incertæ, firmus manet (n) VIRI AM-  
PLISSIMI Canon: Citationes Patrum textus N. Testa-  
menti raro facere debent variantem lectionem, quoniam ex lett. var.  
memoria factæ, sape non ipsa verba, sed equipollentia ad-  
ducunt. Ut nihil jam addamus de reliquis nævis citatio-

B 2 num.

(k) Pasc. Graf. S. Gaspar. Sciopp. Paradox. litterar. Epist. 7, 8.  
& 9. ubi lectio dignissima occurrit. (l) Clar. Jac. Perizon. Aut. F.  
Animadvers. Histor. Cap. IX. (m) Ibid. Cap. IX, pag. 371, 372.  
(n) Cl. G. D. T. M. D. Canones Critici, secundum quos var. lectione.  
Novi Testam. examinanda. Can. XVII, pag. 14. Iterisque pag. 62,  
& 63. de confirmat. Canon. 17, 18, 19, & 20.

12 ACTA APOSTOLORUM ~~VAR~~ KeΦ. d. I. v. 4.

num à PATRIBUS factarum, quippe quas interdum vel ex (o) libris suppositiis & apocryphis, vel ex (p) traditione quorundam dictorum concipiuntur. Quæ omnia jacent, ut lectionem συναντήσεως tanquam corruptam & interpolatam rejiciamus, quod tamen pace Venerandi Epiphani & Eusebii dictum esse velimus.

*Uſus Patr.* §. VI. Ast verò, inquiet aliquis, an rebus ita sese in collect. habentibus nunquam licebit hanc vel illam lectionem variantem & dubiam ex citationibus & interpretationibus Patrum colligere? Resp. Utique licet interdum, non tamen semper. Nam quoties certò constat, locum quempiam S. Literarum olim aliter fuisse lectum, quam hodie legi solet, dubium nullum esse debet, quin sit lectio varians cœteris æquiparanda, aut etiam anteferenda, præsertim, si P.A.T.R.U.M

(o) Libros N. Test. suppositios & apocryphos collegit CL. J. Albert. Fabricius, quem videas & consulas in Codice Apocrypho N. Test. Sic Clemens Alexandrinus, obseruante f. E. Grabin, Spicileg. Patr. Sect. I. pag. 35, 36. ex his, nempe Evangelio secundum Aegyptios verba tanquam divina allegavit, immo idem ssissim farraginem dictorum ex libris suppositiis de promotorum scriptis suis immisit. Huiusq[ue] ipsius vestigia plures aliis Veteris Ecclesiæ PATRES p[re]ferrunt. (p) Traditionis exemplum præbet tritum illud dictum; πάντες δέονται Τριπλασίαν, i. e. estote probi nummularii. Id ipsum Constitutiones Apostolicae. Lib. 2. cap. 36. cum magno Patrium choro procul dubio ex traditione recensuerunt: nam nec Christo, nec Apostolis ulla locorum à sacrâ Scripturâ avoca[re]nt tribuitur. Croesus Observ. in N. Test. Cap. 28. pag. 213. arbitratur quidem, haustum fuisse dictum illud ex Christi parabolis Matth. 25. & Luc. 19. de Tarentis, sed agre assentimus. Quaecunque enim S. Scriptura aperiè non dicit, ea occultanda. Ita etiam de Papia est in propatulo, quod varias Domini parabolas, doctrinasq[ue] per traditiones interpolaverit. Euseb. Hist. Eccl. L. 3. c. 39. Irenæus Lib. 5. adv. heres. c. 33. f. E. Grabin Spicileg. Patr. Sec. II. pag. 30, 31. ubi Irinei locus illustratur.

K&Φ.: dI. v. 4. SANCTORUL ILLUSTRATA. 13

TRUM citationes cuia MSS. probatis & stylo S. Auctoris concordent: Huncce Patrum usum in dijudicandis lectiō-  
nibus variantib⁹ adhibendum (q) Sal Glaffius, (r) Jo.  
Clericus & (s) Christ. Matth. Pfaffius multis illustrarunt  
& comprobārunt exemplis.

§. VII. Unde igitur suspecta illa atque sputia lectio *Origo lect.*  
*συναλόγου*, suos duxit natales? Tentabimus, num be-  
var. *συναλόγου* ex  
ne horoscopare calleamus? Conjicimus [quid enim  
vetat conjecturare in criticis, ubi Mathematicis demon-  
strationibus non semper uti possumus] conjicimus, in  
quam, lectionem voc. *συναλόγου* prognatam esse ex  
vitio scribentis. Quod enim non ex *dictantium* solum,  
sed & ex NB. *scribentium* incuria plurimi mendorum ab-  
ortus oboriri potuerint, (t) Criticorum pagina sat⁹ su-  
perque inculcārunt. De negligentia *dictantium*, ipsos  
rumque mendis nulla verba in praesens faciemus, de craf-  
sis autem *scribentium* erroribus, nemo, si vel supervaca-  
neam arti Criticæ operam navaverit, infinitas ibit, quod  
millies atque millies occurrant. Specimen hujus generis  
mendorum ex vigesimo Actorum capite subiecit (u) J.  
CLERICUS, quem auctorem ipse, sis, oculis tuis perlui-  
stres. Nec dubium est, quin, si qui *scribarum* crescente  
ecclesiâ Christianâ, & deficiente Codicum copiâ, artis vel

B. 3 tempo-

(q) S. Glaff. *Philolog. Sacr. Lib. I. Tract. II. de Textus Græc.*  
in N. Testam. puritate, Membr. III. Num. 2. (r) J. Cleric. Art.  
Crit. Vol. II. P. III. S. I. Cap. 16. §. 37. seqq. (s) C. M. Pfaff.  
Dissert. Crit. de var. N.T. lectionibus, Can. III. pag. 215. (t) Inter  
Criticos evolvendum suademus VIRUM AMPLISSIMUM  
G. D. T. M. D., qui ad Canonem Criticum ordine sextum multa  
buc perinenia de navi scribarum ex J. Crojo, Beza, Sauberto, &c.  
tradidit. Vid. Prolegom. N. Test. pag. 56, 57. (u) J. Cleric. Art.  
Crit. Vol. II, P. III. S. I. Cap. II. §. 3.

temporis lucrandi causâ, quâm maximè potuerunt, festinaverint, exemplaria quædam MSS. quasi cum oscitantia fuerint descripta. Hinc facile fieri potuit, ut aliquando inter scribendum literæ quædam, vel ex abundantí adjectæ, vel mutilatae & mutatae, vel etiam planè omisæ fuerint repertæ. Cuicunque igitur hæc rerum mominâ diligenter secum expendere placebit, animadverteret faciliter, nisi lippus & luscus, Scribæ Actuum Apostolicorum admodum proclive fuisset, ut per nimiam productionem uncioli istius, quem in literis rotundis τῷ α appingere solemus, ex priori & genuina lectione συναλόγου, facta sit posterior & fallidica lect. συναλογία. Profecto id genus errores in literis manu volitante exaratis accidere potuisse, omnes æqui rerum judices mecum fateantur oportet. Notum enim est tritum illud non solum proverbium, sed etiam verius: *Festinatio nimia est cœca & improvida.* i. e. Eile/sonder Weile/ bringt gar selten was Guths/ oder was rechtes.

*Quedam alia ex Aut. profanis loca per dilatatum a corrupta adducuntur.* §. II X. Ejusdem furfuris atque oscitantia exempla, quæ ex unciolo τῷ α nimis dilatato provenisse probabiliter apparent, relata legimus in Græcis auctorum profanorum monumentis quamplurima, quorum ad corroborandas nostras conjecturas pauca in apricum profere-

mus. Etenim simili calami lapsu vel saltu corrupta cen-

demus (v) Scholia ad (vv) HOMERI versum:

Χθιζέτε γὰρ πχαιξί, ὅτ' εἰς Αὐλίδα γῆς Αχαιῶν  
Ηγερέθωτο,

Nec

(v) *Scholia Didymi, qui, ut vulgo notum, in Homerum conscripsit paraphrasin.* (vv) *Homer, Iliad. B. 2. Vers. CCCII.*

(x) *Nec heri, nec hodie, quod in Aulidem naues Gra-  
corum*

*Congregabantur,*

Hunc locum Scholiares inter alia ita illustrat: οὗτος ἐστιν Αὐλίδα] ὅπου εἰς τὴν Αὐλίδαν. Αὐλίς [γῆρας] πόλις Βοιωτίας κεκλημένη ἀπὸ τῆς άντερθής: NB. ἀντερθήναι, ὁ ἐστιν, ἀθροισθῆναι τὸν Ἐλληνικὸν στράτον. Καὶ τὸν οὐρανὸν προστίθενται, exinde liquet, quia equidem verbum ἀθροιζω<sup>ν</sup> pro ἀλίζω, non autem pro ἀλίξω positum invenimus. Ideo (y) Suidas voce ἀλίσας, ἀλί-  
σασ, ἀλίσθεναι & ἀλίσθενται [à themate ἀλίξω] expositus  
per συναθροίσας, συναθροίσασα & συναθροίσθεναι, συνα-  
θροίσθενται, i. e. qui vel que congregavit, congregentur  
& congregatae. Menda haud absimilis notanda in (z)  
XENOPHONTIS textu, ubi in quibusdam editionibus legimus συναλίζεσθαι, licet in vetere quodam  
exemplari planè exaratum sit συναλίζεσθαι: NB. siue adje-  
cta litera v. Eadem ratione sequens locus ( ) JAMBLI-  
CHII corrigendum, ubi pro τῷδε ἐλευθεριώτατον συναλί-  
ζομένον restituendum est, τῷδε ἐλευθεριώτατον συναλί-  
ζομένον. Restitutionem hanc non duntaxat contextus &  
sensus orationis, verum etiam MSS. probata suadent,  
quemadmodum unicuique attento lectori ex inspektione  
ipsius Jamblichii patet. Constat ergo lectionem συνα-  
λίζομενον nullius esse valoris atque momenti. Οὕτε ἔδει  
δεῖξαι. Q. E. D.

§. IX.

(x) *Hic in transitu monendum, quod loco horum verborum,  
Nec heri, nec hodie, alii interpretes substituant, Herique & nu-  
dios tertius.* (y) *Suid. Lexic. Grec. Latin. Tom. I. lit. A. in voc.  
άλισσος &c.* (z) *Xenoph. Lib. I, Πατέρες Κύρος.* (\*) *Jamblich.,  
Cap. 12. de Vit. Pythagor.*

16 ACTA APOST. SANCT. ILLUST. KEP. I. ¶ 4.

¶. IX. Jam quidem supereisset, ut, ordine ita poscente, (\*\*) H. STEPHANI objectiones & rationes, quarum mentio quædam §. IX. Disput. VII. facta, examinemus, infirmemus & confutemus, ne quis forsan nobis invitis & longè aliter sentientibus lectionem συναντι-  
ζόμενος obtrudendi ansam arripiat; sed de hoc ob-  
jecto, DEO volente insequens nostra aget  
Disputatio, ordine nona.

M. O. Δ.

(\*\*) H. Stephan, Thes. Grec. Ling. Tom. I, pag. 627. sub ra-  
dice Ανδ in verb. συναντιζομαι.

Finis Disputationis Octavæ.

O! quantum decus est, bibisse dulces,  
Quas Phœbus clarius ministrat, undas;  
Exollat sicutis avarus aurum,  
Vel quæ sunt speciosa cunque mundo:  
Nil sunt divitiae, nihil metallum,  
Nil, quæ grana Tagi vekuntur undis;  
Quid multæ tibi, Mida, qualo, gazæ,  
Profundit, cum moreris, seputa profus  
Laus omnis tua nonne jam quiete?  
Sed solum Aonidum decus virtus  
Æternum stabili tenore durat,  
Hoc tu nunc meditans, AMICE SUAVIS,  
Binos Pegasei impigie per annos  
Fontis Numinæ Sacra deperisti;  
Hinc jam primicias capis laborum  
Scandens pulpite, differensque doctæ:  
Nec temet, modò callem intre rectum  
Pergas, deficiet perenne nomen,

Hac alite calamo gratulabundus adjectit  
J. E. BAJER, Alumn. Ser. Maj.

7e 2511

ULB Halle  
002 379 813

3



7300

VDCH VD18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

DISPV TATIO OCTAVA,

QVA

A C T A

S. APOSTOLORVM  
EX SCRIPTORIBVS ANTIQVIS,  
SACRO-PROFANIS, MAXIME EX PA-  
TRIBVS ECCLESIASTICIS ET AVCTORIBVS  
CLASSICIS GRAECOROMANIS  
ILLVSTRATA,

IOAN. CASP. SANTOROCCVS,

Profess. Ord. Antiquit. Græco-Latinarum, nec  
non Poësios & Pædagogiarcha,

P R A E S E S ,

ET

HENR. CHRISTIANVS GRAIVS,

Herbornensis,

R E S P O N D E N S ,

*Publicæ Dnn. Commilit. disquisitioni*

h. l. s. Die xx. Martii. cccc xvi.

subjiciunt.

MARBVRGI CATTORVM,

Typis HENNINGI MÜLLERI, Acad. Typogr.

